

Q. D. B. V.

D E

# APPROPINQUATIONE NOMINIS DIVINI.

## PRÆFATIO.



Uoties in sacris literis Deus dicitur suis suam manifestasse præsentiam, suis secundum gratiam singularem operationibus, aut providentiam specialem, & quoties iterum vere fideles ac pii, sincero Deum prosequentes amore, dicuntur ex toto animo ad Deum conversi, toties fere simul appropinquationis nominis divini mentio injicitur. Ex quo apparet, plus significari per appropinquationem nominis hanc divini, quam vulgo creditur, aut illi opinantur, qui experiendo de hac re nihil addidicerunt. Et, licet hanc nominis divini appropinquationem, nobis in hac vita mortali vix inchoative, καὶ ἐκ μέγας liceat percipere, ὡς ἐν ἀντίγραφῳ, 1 Corinth. XIII, 9, 12, measque speciatim vires, quas sentio, quam sint exiguæ, hæc materia longissime exsuperet, tamen operæ esse pretium putavi in hoc argumento meas, qualescunque illæ demum sint, periclitari vires, & quid per hanc Nominis divini appropinquationem intelligatur, inquirere. Fundamentum hujus instituti præbeat oraculum illud Davidis, quod in Psalmo occurrit LXXV, 2. Tractationis autem universæ, ut ordine singula procedant, omniaque plane ac plene proponantur, quæ explanare con-